

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 8284

**Auteur(s)** : Robert Calabre [chevalier]

**Bénéficiaire(s)** : Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1277, 24 octobre

**Action juridique** : vente

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Robert Calabre, chevalier, et Jeanne, sa femme, vendent à l'abbaye de la Trappe, moyennant un prix de soixante livres tournois, plusieurs censives, sises dans le fief de la Cour, un pressoir, un verger et une vigne.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renault de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, S. « De nemoribus », n° [XXXVIII], p. 482-483.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Robertus dictus Kalabre, miles, et Johanna, uxor ejus, salutem in Domino. Noveritis quod nos vendidimus viris religiosis, abbati et conventui Domus Dei de Trappa, cisterciensis ordinis, pro sexaginta libris turonensium, de quibus tenemus nos pro pagatis, totum illud quicquid habebamus et tenebamus in feodo de Aula ratione acquisitionis mee, scilicet predictae Johanne, videlicet omnes censivas quas tenebant et habebant de nobis homines subnotati, qui de dictis censivis nobis ea que subnotantur annuatim reddere tenebantur, scilicet Robertus de Vado Chauce duodecim denarios turonenses, Raginardus Alnart duos solidos, Dionisius de Valle Gelata duodecim denarios, Abertus Achart et Leodegarius duodecim denarios, Pratrueilla duodecim denarios, molendinum fullatorum viginti denarios, Emmelina Ladarappe viginti denarios, Thomas Chalon et carnifex de Coudra decem et novem denarios et obolum, Odinus Legras et fratres ejus duodecim solidos, heredes defuncti Bardobe octo denarios, Richardus Lemoutonel unum denarium, Perchus Manorri duos solidos, Gaufridus Parroche sex denarios, et Richardus Bahen octo denarios. Preterea vendidimus eisdem religiosis, pro pretio prenotato, pressorium, sittum in dicto feodo, cum tertia parte virgulti quod est ante dictum pressorium et vineam que appellatur Bohene ; et habebunt et tenebunt predicti religiosi omnia predicta, sibi vendita a nobis, cum omni jure, dominio et dominico ac districtu, queconque habebamus et habere poteramus in omnibus supradictis, absque aliqua reclamacione seu contradicione quam nos vel heredes nostri possimus facere de cetero in eisdem, sed tenemur eadem garantizare, deffendere dictis religiosis ad usus bellimenses et consuetudines, et penitus liberare. Et, ut hoc firmum maneat et stabile in perpetuum, nos antedicti Robertus et Johanna, dedimus prenotatis abbati et conventui presentes litteras, sigillorum nostrorum munimine roboratas. Actum anno gratie M° CC° LXX° septimo, die dominica ante festum sanctorum apostolorum Simonis et Jude.